

oo ge



37

MISNIAM
PATRIAM ET NUTRICEM
BENIGNISSIMAM
ALIQVOT
ORATIONIBVS
IN SCHOLA CIZENSI
CELEBRABUNT

NONNULLI EJUS ALUMNI
A.d. xxiv. August. Ann. clo lcc LXXIV.

AD QVAS BENEVOLE AUDIENDAS
OMNES BONARUM LITERARUM PA-
TRONOS ET FAUTORES SUBMISSE
ET OFFICIOSE

INVITAT
M. JOH. RAUSIUS, Rector.

CIZÆ,
Typis JOH. RUPERTI Scil.





DE historiarum studio, utrum illud pueris adolescentibusq; conveniat, nec ne, inter eruditos controvertitur: dum alii juventutem ad historiarum lectionem admittere nolunt: contra ea alii istam majorem in modum ei commendant. Priorem sententiam suam facit *Barthol. Keckermannus*, non incelebris olim Gymnasii Dantiscani Professor, in libro de natura historiae part. I cap. I. oppugnatus ideò à Gerh. Joh. Vossio in *Arte Historica* cap. 5. Ejus patrocinium suscepit *Degoreus Whear* Prælector Historiarum in Academia Oxoniensi in *Relectionibus Historicis*, quarum partem secundam, de idoneo historiae lectore agentem, integram huic argumento impendit, variosq; auctores secum facientes ibidem allegat, Nec temerè plane aut sine ratione in hanc sententiam descenderunt. Requiritur enim ad historiarum lectionem (1) *Judicium sive facultatē discernendi exempla, quæcumq; quis legerit, & de iis rectè judicandi.* (2) *animi propensionem ea, quæ proba fuerint, imitandi: quæ secus autem, fugiendi: omnia deniq; in usum suum convertendi.* Quin haud ullum esse studii genus asserunt, in quo plus solertia, plus judicii, usûs & prudentia postulari videatur: quàm in historia, vitæ civilioris magistra, legenda requiratur. Vid. *Whear. l.c. sect. I. p. 262.* Habet verò contraria sententia patronos non minus celebres, inter quos facilè ducit familiam antea laudatus *Vossius*, cum libro citato, tum dissertatione de ratione studiorum. part.

part. 1. ubi asserit, *historiam cum lingua studio optime
conjugi, nec esse expeditiorē proficiendi modum ad
addiscendam linguam Latinā, quā si cum Cicerone
aut Terentio historia jungatur, eō quod ex historia
proprie personarum ac locorum appellationes hauri-
enda sint, sine quarum notitia non poëta, non orato-
res, non ullum intelligi possit scriptorum genus. Et
part. 2. censet, puero etiam sexenni vel septenni utili-
ter datum iri chartas tres, quatuor geographicas, ut
inde distingvere discat tres continentes. Vossio pol-
licem premunt *Job. Henr. Ursinus* in encyclopædia
scholastica, ubi in epitome prudentiæ scholasticæ §. 60.
historiam cum Rhetorica inchoare jubet. *Michaël
Neander* in *Bedencken* de informanda juventute
p. 39. & 40. inqviens: Weil *studium und cognitio
historiæ nicht allein ein herrlich / lustig studium,*
daraus doctrine in omni vita multipliciter proficua
von einem ieden genommen werden können: Son-
dern auch viel in Ecclesia und Republ. sine historiis
nicht kan expliciret werden; Als wår sehr gut und
nütze / daß mann einem Knaben auch proponirte und
enarrirte ein fein eruditam und compendiosam syno-
psin historiæ imperiorum sive orbis gentium &c. Und
neben diesem eine feine eruditam orbis terræ descri-
ptionem & commemorationem. Denn nicht zu sa-
*gen / wie auch eine solche partium orbis terræ descri-**

ptio und explicatio, darinnen viel feine/lustige/gute/herrliche und sehr nöthige res, bey einem iedern Stück/Land/Ort und Stad auch gehandelt/einem jungen Mann in lectiōe omnium veterum und recentium scriptorum, auch in communi vita, sehr zuträglich. Gvil. Mechovius in Hermathene. cum tract. 2. cap 1. §. 15. ubi discendis in schola etiam addit historiam, geographiam & chronologiam: tum speciatim tract 3 cap. 3. § 19 cap 4. §. 11. cap. 5. §. 12. ubi tempus studiorum in scholis trivialibus in tria septennia dividit: PRIMUM assignat antescholanis ad septimum usque ætatis annum, atq; his tabulas Geographicas cum Voffio l. c. utiliter dari censet. SECUNDUM pueris usq; ad annum XIV. quibus duodecimum annum ingressis Historiæ universalis & Chronologiæ seriem studiis addere svadet, eò quod, uti commemoratio rerum gestarum, plena voluptatis est, quæ animos in legendo vel capit vel incendit: ita nihil sit aptius ad delectationem adolescentium, quo studium eorum erigatur. TERTIUM adolescentibus usq; ad annum XXI. quibus præmissâ Geographiæ & Chronologiæ communi duntaxat & non exactâ notitia nobilissimum historicorum tablinū multo studio discutiendum esse ait. Calculum quoq; suum addit plurimum venerandus & celeberrimus noster MITTERNACHTIUS appendice I. Pædiæ §. 4. & 7. ubi tabulas Geographicas & Historicas, itemque Sleidanum de IV. summis Imperiis veluti compendium historiæ universalis commendat. Quid? quod laudatissimis hisce & de Rep. literaria juxta ac scholastica meritissimis viris astipulentur haut pauca clarissimæ respubl., quarum auctoritate vel Justinus, vel Sleidan⁹,
vel

vel alia quædam epitome historica in scholis explicatur. Atq; ita nec auctoritate, nec rationibus destituuntur, quotquot historicum studiū adolescentiæ in scholis vindicant, & vel eō solō nomine multorum puncta ferunt, quod utile dulci commodè misceant. QUANOQVAM verò non sit opis nostræ tantas componere lites, nec etiam ita suffenus mihi sim, ut arbitrum me constituere inter tot viros clarissimos auserim: Si tamen res ipsa accuratâ mentis bilance perpendatur, diversusq; historias tractandi modus probè consideretur; videtur utraq; cum ajens, tum negans sententia commodum admittere sensum, nec altera alteram evertere. Veluti enim ARISTOTELES, teste Gellio l. XX. Noct. Attic. cap. 5. geminas olim instituebat scholas, alias ACROAMATICAS, tempore matutino, ad quas neminem temerè admittebat, nisi cujus antè ingenium, & eruditionis elementa atq; in discendo studium laboremq; explorâisset: alias EXOTERICAS, tempore vespertino, ad quas omnibus sine delectu aditum præbebat. Itēq; sicut in Logicis alia est probatio analytica seu apodictica; alia Dialectica seu Topica: Parili ratione modus tractandarum plerarumq; disciplinarum, & sic historiarum quoque, duplex est: ALIUS ACCURATUS & exquisitus, quo omnia non vulgari trutinâ, sed aurificis quasi staterâ expendantur, ut ad intima rei cubilia penetretur, & interior, recondita, evidens & certa scientia acquiratur; ALIUS VULGARIS & popularis, quo communiora & notiora traduntur, ad generalem quandam notitiam consequendam. Omnino igitur negantis sententiæ patronis conceditur, historias non posse tradi adolescentibus methodo exquisitissimâ, quæ, ut loquitur Vossius cap. V. art. hist. *accuratè in circumstantias & eventuum causas inquirat*, cum & iudicii maturitate destituantur, nec

affectûs in potestate habeant: Fatendum tamen est Keckermanno, iisque, qui ab ejus stant partibus; adolescentulos, quippe memoriâ florentissima præditos, generalē, eamque insignem locorum temporum & rerum gestarum notitiam feliciter imbibere posse, majori longè facilitate & jucunditate, quam si in seram ætatem omnia ista rejiciantur: procedente postea tempore intimiùs singula excutere & rimari licebit. Ceterum quod addit ibidem Keckermannus, historias carere METHODO, nisi eam petant ex ethicis & politicis, ac proinde ethicam & politicam præmittendam esse historiis: in eo subscribere ipsi non possumus, desumunt enim istam methodum suam ex Chronologia, & interdum unâ ex Geographia, siquidem secundum seriem temporis, & quandoque locorum simul libri historici tantum non omnes pertractantur: ac proinde studium Geographicum & Chronologicum præmittendum esse rectiùs inde colligitur. In ipsa verò tractatione historiæ incipiendum est ab historia universali: hanc excipit particularis, in qua censente Vossio lib. de Philologia cap. 14. §. 15. primus locus debetur historiæ sacre. *Post cognitam verò Ecclesiæ historiam (verba sunt ejusdem Vossii l. c.) quid turpius ignoremus, quam quæ vel nostris, vel parentum aut avorum, vel proavorum temporibus, partim terris contigerunt nostris, partim vicinis? Hæc enim cum vulgo etiâ cognita sint, sine omnivivis ac circulis narrari soleant, omnino turpiter se homo dederit literatus, si ista nesciat, quæ sunt quasi ante pedes. Historia ergo patria cuique maximè commendata esse debet. Itaque non improbanda est quorundam scholæ nostræ civium diligentia, qui nuperis feriis*

riis

riis cerealib⁹, ut otii sui rationem reddere possent, aliquid
temporis historiae & chorographiae patriae impenderunt,
atq; hinc orationes quasdam de Misnia conscripserunt.
Et digna profecto cognitu est MISNIA, habetque
multa, quae eruditorum industriam exercere possunt. De
ipso nomine statim, non idem omnium sensus est. PHIL.
MELANCHTHON enim, Reinerus Reineccius, Petrus Albi-
nus, aliiq; Mysos nos nominant, deducuntq; à Mysis, qui
Scythiae primùm fuerint populi, hinc in Bithyniã tranf-
ierint, tandem in hanc oram devenerint. Atq; ex eadem
quoq; Scythia Thuringos & Saxones iidem arcesunt.
MATTH. VERÒ DRESSERUS in epistola dedicatoria part. V.
Isagog. histor. & in programme eidem praefixo, ductus
& rationibus variis, & auctoritatibus Davidis Peiferi, triũ
quondam Saxoniae Septemvirorum Cancellarii, atq; Po-
lycarpi Lyseri Theologi celeberrimi, probabili⁹ esse cen-
set, à Misnia fluviolo, infra arcem Misnensem in Albim de-
labente, nomen inditum esse Urbi Misnae, atq; adeo toti
regioni Misniae. Priori quoq; sententiae dicam scribit E-
rasmus Stella apud Albinum, in Chron. Misn. tit. 4. p. 60.
Optandum autem erat existare accuratam Misniae *tabel-
lam chorographicam*: quam enim Petrus Apian⁹ Leu-
fnicensis, celeberrimus superioris seculi Mathematicus, e-
didisse & Georgio Saxoniae Duci inscripsisse fertur, vix
uspiam hodie exstat; quae autem ab Olao Joannis Gotho
Regis Sveciae Geographo edita est, & vulgò circumfer-
tur, plurimis scate erroribus, de qua rigorosus censor,
forfan idem pronuntiaturus erat, quod Adamus Oleari⁹
lib. I. Itinerarii Orientalis Mandelsloviani p. 32. ex Georg.
Hornio de tabula chorographica Persiae, eam vix cassa
nuce dignam esse. Oportet tamen nos, nisi melior de-
tur, hoc Catone contentos esse. De Misnia verò plura sup-
pedi-

peditabit Petri Albini Meisnische Land-Chronic. ejusdem Meisnische Berg-Chronic. Georg. Fabricii libri VII. rerum Misnicarum, & Origines Saxonicae; & Matth. Dresferi pars IV. & V. Isagoges histor. Ut v. in orbitam redeamus, series Orationum hæc erit:

I. JOH. GEORG. Zeidler/Cizensis, Misniæ situm, limites & provincias minores, in quas dividitur, delineabit.

II. JOH. Pfau/Wuizensis Misn. Misniæ cœlum, solum, mineralia, vegetabilia, & quicquid benignior natura ipsi tribuit, describet.

III. Mauritius Fridericus à Körbitz/Eques Misn. religionem, scholas & politiam Misnensium commendabit.

III. ZACHARIAS Hase/Tautenburg. Misnic. Misnensium urbes, virtutes & mores collaudabit.

Absolutis hiñce JOH. GEORG. ZEIDLERUS, Scholam nostram Academia Lipsiensi mutaturus, eidem diversis diversorum generum carminibus Græcis & Latinis valedicet. Actum deniq; claudent aliquot carmina propemptica, nempe

CHRISTIANI Friedels/Scaudiz. Misn. Hebraicum.

GOTTFRIED Ecksteins/Annæberg. Misn. Græcum.

JOH. FRIDER. Teubers/Ciz. Misn. Latinum & German. Recitationi harum orationum die Barthol, memoriter instituendæ, ut omnes bonarum literarum & Scholæ nostræ Patroni & Fautores benevolè adesse velint, majorem in modum oro atq; contendo. Cizæ a. d. X. Kal. Septemb. Ann. clō Ibc. LXXIV.

AB: 155735 (1)


ULB Halle 3
003 023 915




80

V. 12







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black

37

EM

BVS

NSI

NI

LXXIV.

DAS

RUM PA.

MISSE

ctor.

2

